

V C  
5162



h.



ORATIO PANEGYRICA,  
QVAM  
 IN DIEM NATALEM XXXVII.  
 SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI  
 PRINCIPIS ac DOMINI,  
 DN̄I JOHANNIS  
 GEORGII III.

Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium Ducis, S. Ro-  
 mani Imperii Archi-Mareschalli & Electoris,  
 Landgravii Thuringii, Marchionis Misniae ac u-  
 triusq; Lusatiae, Burggravii Magdeburgi, Comi-  
 tis in Henneberg, Comitibus Marcae, Ravens-  
 bergi & Barbi, Dynastae Ravensteinii,  
 &c. &c.


*Pii, Magni, Fortis, Pacifici, Benignissimi,*

DOMINI SUI CLEMENTISSIMI,

In Academia Viadrina in Collegio Majori,

IN SPLENDIDISSIMA UNIVERSITATIS PANEGYRI,  
 habuit

WOLFGANGUS ABRAHAMUS à GERSDORF,  
 EQVES LUSATUS.



FRANCOFURTI AD VIADRUM

Typis Imprimebat Johannes Coepelius, Acad. Typogr. A. 1683.



ORATIO PAMEGGII

IN DIEM NATIVITATIS

GERMANI

DEI JOHANNIS

ET GEORGI

IN ECCLESIA

FRANCORUM

AB ANNO

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII



SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO  
PRINCIPI ac DOMINO,  
D<sup>N</sup>O JOHANNI  
GEORGIO III.

Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium Duci, S. Ro-  
mani Imperii Archi-Mareschallo & Electori,  
Landgravio Thuringii, Marchioni Misniae ac u-  
triusq; Lusatiae, Burggravio Magdeburgi, Comi-  
ti in Henneberg, Comiti Marcae, Ravens-  
bergi & Barbi, Dynastae Ravensteinii,  
*Ec. Ec.*

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

PANEGYRICUM HUNG

offert humillimè

SERENITATI SUÆ

Devotissimè subjectus

WOLFGANGUS ABRAHAMUS à GERSDORF,  
EQVES LUSATUS.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO  
PRINCIPIS ac DOMINI  
DNO JOHANNI  
GEORGIO III.

Saxonie Julise ac Montanum Ducis, S. Ro-  
niam Imperialis Archiepiscopi, Marchionis & Electoris  
Langgavio Taurinensi, Marchionis Milvici ac  
Comitis Palatini, Comes de Magdeburg, Comi-  
tis de Ravensburg, Comes de Ravensburg,  
Comes de Ravensburg, Comes de Ravensburg,

DOMINO PAPA CLEMENTISSIMO  
PAPAE ROMANAE  
SACRATISSIMO  
SACRATISSIMO

Devotissime subiectus

WOLFGANGUS ABRAHAMUS GERSDORF  
EQUES LUSATIAE





*Magnifice Universitatis Rector, Perillu-  
stris, Generosissime, maximè Strenue Dn.  
Colonelle, S. R. I. Liber Baro, Perillustris  
& Generosissime Dñe Baro, Viri Plur.  
Reverendi, Consultissimi, Experientiss:  
Nobilissimi, Amplissimi, Proceres hujus  
Universitatis Excellentissimi, Viri Re-  
verendi, Generosi atq; Nobilissimi Dñi  
Commilitones, Hospites, & quotquot de-  
niq; ad audiendum confluxistis Audito-  
res omnium Ordinum Honoratissimi:*



XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

Audabilem esse omnino il-  
lam antiquitùs usitatam,  
nec nostris temporibus o-  
missam consuetudinem,  
illorum facta moresq; qui vicaria DEI  
inter homines potestate illustre *Principa-  
tus* munus laudabiliter gerunt, posteris tra-  
dere,

dere, atq̄ve ita illorum merita summis extollere laudibus, omnis ævi prudentibus creditum est. Hunc in finem innumera- biles ferè exstant Scriptores & Oratores, quibus ex utilitate publica placuit, com- mendandis vera laude *Terrarũ Rectoribus* vocem impendere, ut & populos felicitatis suæ admonerent, & futuri *Principes* sub exemplo præmonerentur, quâ potissimum viâ possent ad eandem gloriam niti. Lau- dat seculi nostri bono *Xenophon* suum *Cy- rum*, facta *Alexandri M.* fertili laude *Cur- tius* vehit, vivit in exemplum *Plinii* vo- ce *Trajanus*, *Pacati* encomio *Theodosius*, per *Mamertinum* suum *Julianus*, per *Eu- menium* & *Nazarium Constantini*, per *Ausonium Gratianus*, atq; sub specie lau- dis ab omnis ætatis *Heroibus*, ævi nostri *Principes* boni discunt quæ faciant, mali quæ facere præstet. Quæ sanè vera *Prin- cipum* & sempiterna gloria est, quando non trabibus, aut saxis, quæ demolitur æ- tas & obscurat oblivio, nomen eorum, sed  
monu-

monumentis æternæ laudis inciditur. Et merito fanè is *Princeps* laude sua non fraudatur, qvi in summo fastigio non magnus magis, qvam bonus audire desiderat; Qvò magis enim molestum illud regimen est, eò majorem laudem meretur, si ita sese gerat, ut omnes eum simul amore & metu prosequantur.. *Ecquod enim præstabilius est, aut pulchrius DEI munus, quàm castus & sanctus & DEO simillimus Princeps?* Quid majus inter homines, quàm unum præesse pluribus, Leges & jussa ponere, flumina, terras, pacem, bella moderari, hominibus gentibusqve fortunas suas dispensare? Divina quædam Dignitas hæc videtur, & est profectò, si salubriter atq; ex usu publico administratur. Certè non naturæ donum, sed ars artium est, & Scientia scientiarum hominem regere, animal tam varium & multiplex, cujus artis fastigium attingere cui concessum est? Quantæ molis est, ab uno capite tot capita coerceri, & universam multitudinem,

A 2

sæpis-

sæpissimè inq̄vietam & turbidam, sub com-  
mune quoddam obedientiæ jugum redi-  
gi? quæ quò major, eò difficiliùs regitur.  
Navigia enim quæ vulgarem modum ex-  
cedunt, regi sæpiùs nequeunt. Majus cer-  
tè quiddam est, *Magnum Principem esse*,  
magnamq̄ve Rempublicam benè admini-  
strare. Difficile est cursum rectum in un-  
doso illo mari tenere, & in summa fortunâ  
non abripi licentiæ ventis. Quam multis  
virtutibus opus est, quibus velut anchoris  
hæc navis firmetur! quam variâ pruden-  
tiâ, quâ velut clavo gubernetur. Quæ  
ratio est, cur tam pauci ab omni ævo re-  
perti, qui laudabiliter hoc munere functi  
& defuncti, eoq̄ve justiore ratione *Princi-  
pis* ejus laudibus subjecti incumbunt, qui se  
non *Dominum* tantum & arbitrum, ve-  
rum etiam *Tutorem* Reipublicæ esse pu-  
tat, & duas res diversissimas, Potentiam  
nimirum & populorum salutem miscet;  
Hic enim velut beneficum & salutare quod-  
dam Numen est, de quo inter amorem ti-  
mo-

moremque; medii alternis judiciis ambigant  
populi Dominum salutent an Patrem? Hic  
vera salus est suorum & quædam quasi felicitatis  
anima & Reipublicæ, suisque omnino præstat,  
quod anima humano corpori. Per animam movetur  
corpus & agile est, vivitque & viget: à Principe  
Reipublicæ spiritum & vitam, vigoremque ac salutem  
accipit, ipseque subjectis omnibus statum & fortunam,  
atque omnem felicitatis humanæ ordinem, operatur  
& dispensat. Ut quodam quasi compendio felicitatis  
agere nobiscum videatur DEUS, quoties pios ac fortes  
nobis concedit Principes, in quibus & Reipublica & nos  
vivimus. Quare in Principe bono plus subjectis  
emolumenti & gaudii, quam in mortalium bonis  
omnibus. Ac bonus quidem annus & pii Soles,  
ingens gaudium tribunt, sed nisi virtute & sapientia  
& bonitate regnantis, extra securitatis spem positus  
sit agrestium labor, felicior proventus anni,  
non tam gaudendi colonis affert copiam,

B

am,

am, quàm flendi necessitatem imponit. Lætissimi quidem nobis videntur imprimis *hi Junii dies*, quibus nunc fruimur, qui non diuturno tantum lumine solis non beant, atque ubertate fructuum, frugumque spe maxima, amoenitate verò gratissima nos afficiunt, adeò ut amplius nihil exoptare habemus, nisi pacem & quietem, quæ fruendis his bonis sufficiat. Sed & hoc fertilitatis singulare exemplum, non tantam lætitiæ materiam subjectis præbet, quàm tantam virtutibus suis *bonus Princeps*, omni sole gratior, qui plus certè suis confert, quàm aut Sol aut annus donet.

Qua felicitate regnantis, ut ut sub PRINCIPE MAGNO *Marchici*, si qui alii gaudeant, aliò tamen, ut, in præsentem convertam animum, hodierni diei solennitas facit. Est enim hic dies, qui *Serenissimum atque Potentissimum ELECTOREM SAXONIÆ JOHANNEM GEORGIUM III.* generis humani delictum, verendum certè salutis ac securitatis  
publi-

*publicæ pignus*, SAXONIÆ patriæ meæ  
*charissimæ* primùm dedit, atq̄ve cum eo  
omnia, quæ aut fortuna hominibus, aut  
natura largiuntur. Quem quò minùs in-  
dictum ac tacitum præterire sinam, *Audi-  
tores, pietas*, illaq̄ve *Principis Optimi in  
Germaniam*, merita faciunt. Ac licèt sin-  
gulæ luces ejus beneficia annumerent lar-  
giter, nec ullum momentum intercedat  
prope, quo non benignitas ejus, frugife-  
rum aliquid, ac utile in publicum operetur  
ac agat, univèrsus tamen felicitatis publi-  
cæ ordo ab hoc cùm maxime pendet tem-  
pore, quò de ejus auctorem primum dedit.  
Nec vereor, ingratham vobis futuram, *Au-  
ditores*, memoriam *Optimi Principis*,  
quem *vicinum* amicissimum agnoscit  
*Marchia* atq̄ve pronuper ipsa coram ve-  
nerata *gratisimum* habuit *hospitem*. Sed  
dum in splendidissima hac cathedra hunc  
in finem constitutus sum, *Auditores*, jamq̄;  
quod in confluxu præclarissimorum Viro-  
rum verba mihi sunt facienda, mihi gratu-  
lor,

lor, honoriq̄ve duco, non possum tamen non trepidare, cum tantæ Provinciæ sustinendæ, me nec ingenio, nec eloq̄ventia sentiam parem. Si enim tantum de remedio dicendum mihi fuisset, ingenium meum vix sufficeret, & tamen de *Principe Magno* loqui, animus jubet & pietas exigit. Hebet omnino ad hanc necessitatem pauxillum illud ingenii, quod nondum confecit ætatis meæ spacium; torpetq̄ve atq̄ve obstupescit lingua penitus, ipseq̄ve spiritus deficit, qui impleat os, sufficiatq̄; dicendis in præsens. Sed quicquid sit, malo ineptus haberi & indifertus, quam oblitus pietatis erga *Principem & PATRIÆ PATREM Clementissimum*. Ac dum pietas sola me fecit audentem, satius est, quomodo cunq̄ve dicere, quam hujus diei solennitatem silentio præterire.

*Heroum* res gestæ posterorum animos ad virtutem accendunt & *Principum bonorum* imagines seu monumenta non ideo inventa, & laudes eorum non ea ratio-  
ne

ne in Scriptis extant, ut vel lectioni inser-  
viant, & artem pictoris & sculptoris seu in-  
genium vel svadam Oratoris ostendant,  
sed ut animos successorum ad incitatio-  
nem accendant. Hisce oculis Miltiadis  
trophæa, seu potius ex illis virtutes ejus a-  
spexit Themistocles, qui noctes sæpe in-  
somnia egit & in illis contemplandis fuit  
assiduus. Nec alia fuit causa cur sapien-  
tissimus Ethnicorum Seneca imagines vi-  
rorum illustrium inspexerit, & in suo Mu-  
sæo habuerit: *Quidni, inquit, ego ma-  
gnorum virorum monumenta & imagines  
habeam, incitamenta animi.* Imprimis  
autem liberi & posterii parentum & mayo-  
rum suorum laudes intentiori cura æmu-  
lantur, ut Aschanius Virgilianus

*Quem pater Æneas & avunculus exci-  
tat Hector.*

Omniem etiam operam navant, ut si fieri  
possit, eos superent, ut Simon & Timothe-  
us apud Ciceronem laudabiliter fecerunt.

C

Majo-

*Majorum* verò à quibus PRINCEPS  
noster de quo mihi nunc facienda sunt ver-  
ba, originem duxit, monumenta & res  
gestæ, quæ nomina illorum æterna fece-  
runt, non solum Saxoniam, verum terra-  
rum omnium PRINCIPIBUS ad imitatio-  
nem exposita sunt. Et certè si verborum  
meorum initium inde ducere vellem, ubi  
*Sideris* nostri *Lux* primum prorupit, o-  
mninò tales Heroes in *Saxonica Familia*,  
ab illo seculo usque ad nostra tempora re-  
reperirem, quorum facta cum *Alexan-*  
*dri M. Scipionum, Pauli Æmilii, Cæsa-*  
*ris, Pompeji* laudibus comparari, cū *Con-*  
*stantini M.* cum utriusq; *Theodosii* gloria  
conferri meritò potuissent. Quæ si re-  
censensere hic singula vellem, plurimis &  
spaciosissimis Clepsidris opus esset, atque  
non orationis pensum, sed annalium & tot  
seculorum labores exhaurirem. Et quid  
opus est per propagines singulas in ultimã  
ire originem, cum fama factorum illo-  
rum animis hominum, mentibusque pe-  
nitus

nitus infedeat. Qvis enim nescit, *Domum Saxoniam* eam esse, quâ nulla alia antiquior aut splendidior? Qvis nescit à Saxonum vetustissimo Rege WITTEKINDO originem trahere, atque per tot *Stemmata Heroum* maximorum incorrupta nobilitate & laude decurrere, nec culmina tantum Germaniæ eminentissima, ipsaque *fastigia Cæsarum* complecti; Sed externis etiam Regionibus ferè omnibus Stirpes inclytas, ac illustrissima decora, quin Sceptra & Diademata Regia dedisset. Non dicam in præsentia, quantum Familia Hæc in Saxonia semper dominata sit, præmittam quanta in æstimatione apud omnes nationes fuerint SAXONIÆ PRINCIPES, non enumerabo honores & imperia eorum omnium; cum enim in laudem unius PRINCIPIS JOHANNIS GEORGII III. feratur animus, supersedebo merito in præsentiarum, in his rebus Orationem occupare. Tacebo idcirco *Principem* illum SAXONIÆ MAGNUM MAURITI-

RITIUM, qui uno anno, ne reliqua tangam, duos terrarum orbis potentissimos Monarchas, nimirum Turcarum, & Romanorum Imperatorem CAROLUM V. attonuit & perterruit: & primus Sacri Imperii enses in suam intulit Gentem. Non tangam AUGUSTUM, *Mauritii Fratrem, Principis Nostri Abavum*, qui neque militari gloria, neque ulla alia virtute caruit. Omittam CHRISTIANUM, in quo experta vires suas videtur natura, ut Optimi Principis produceret exemplum. Et quid JOHANNEM GEORGIUM PRIMUM dicam, *Auditors*, cujus facta merentur, ut omnibus Principibus exemplo sint, Hic est qui virtutis laude æternam sibi Nominis gloriam peperit, Hic ille est, qui non provinciarum suarum opes ac potentiam solum defendit fortiter, & à ruina atque interitu vindicavit, verum exteris atque Imperio præsertim summisque Imperatoribus auxiliis suis toties adfuit. Hic est, qui non pro Re-

gno

agno, non pro libertate, sed, quod maximum est, pro *Religione* pugnavit fortiter. Cui incomparabili virtuti *Principis*, tantumquam latè habitant, quos *Evangelicos* vocamus, debent, ut nullius cujusquam Dignitas dignam usquam rependere vicem possit. In recenti adhuc hæret memoria Successor & Filius Ejus JOHANNES GEORGIUS II. PATER PRINCIPIS NOSTRI SERENISSIMI, qui in laudibus hominum, in fama rerum, in perpetuitate temporum manet exemplo Principibus populisq; quid virtuti debeant. Desideratis, *Auditores*, Pium & Religiosum? In hoc PRINCIPE pietatem, cum singulari Religionis studio conjunctam vidimus. Desideratis Clementem & liberalem? Clementiam & liberalitatem admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis monumentisq;ve decorandam reperietis. Libet audire Pacificum? Hic PRINCEPS in cædes dextram nunquam armavit, ubi sine ferro consequi pacem potuit. Equi-

D dem

dem gloriosum est multa magnaꝫve bella gerere, sed impotentis animi est, nolle pace frui, nisi per sanguinem & caedes: nec qui securitati communi anteponat dolorem & cupiditatem propriam, sed bello securitatem qui petat, hunc bellicosum & fortem dixeris, Magnum de caetero & sapientem, qui potens sui, nec provocet bella, nec timeat, & aequae stringendi atq; con- dendi ferri sciens, in tempus utruꝫve consulat recte, & subditorum saluti advigilet. Desideratis denique felicem? Hic *Princeps* prosperae fortunae cursu per omnes felicitatis humanae gradus grassatus est. Praecipue vero singularis felicitatis exemplum dici potest merito, quod ex Serenissima & adhuc maxime florente *Domo Brandenburgica* Uxorem singularis in Principibus exempli **MAGDALENAM SYBILLAM** acceperit, atque ex illa **SERENISSIMUM** atque **POTENTISSIMUM JOHANNEM GEORGIUM III.** Dominum meum *Clementissimum*, progenuerit.

*Felix*

*Felix Pater Patriæ, qui ex Patre tantæ virtutis & felicitatis natus es! O felix atque iterum felix Caput Saxonicae Rutæ, qui ex tam splendidâ Domo, Vero Heroum Seminario, Genetricem agnoscis, cujus hodierni PRINCIPIS Magnitudo rerum gestarum innumerabilis est, & cujus virtutum viriumque incrementa incredibilia agnoscimus. O felicissima Patria! quia ex ejusmodi Parentibus nullum alium nisi Principem bonum sperare potuisti olim, nunc spectas, atque ingenti bono tuo experiris. Id quod partim naturæ felicitati, partim educationi non immerito tribuitur. E delineatione prima ultima picturæ pendet perfectio; haud secus bona educatio ab iis, quæ tenerior hauserit ætas, priusquam affectus vires sumant & rationis detrectent imperium. E minutissimo semine ingens arbor enascitur, sed sub initium non nisi tenella virgula est, quæ in omnem se flecti partem facile patitur. Industria solertis & impigræ manus in lætos ramos*

pullulat, inq̄ve exoptissimos usus succre-  
scit. SERENISSIMUS JOHANNES  
GEORGIUS III. ne in diversa abripe-  
retur, (si abripi optimi possunt) educa-  
toris cura & sanctitas efficiebat. Qui Ge-  
nerosam hanc Stirpem fingebat sedulo, &  
in decoram, rectamq̄ve Proceritatem feli-  
ci industria dirigebat. Atq̄ve ipse præ-  
veniebat curam Parentum, cui q̄vasi natu-  
râ insita erat cupiditas scire omnes res, In-  
genium liberalium artium, doctrinarum-  
q̄ve omnium capacissimum. Spectabant,  
audiebant, mirabantur ejus ingenium o-  
mnes, noti & ignoti, incolæ & peregrini,  
qui ex Saxonia in patriam suam magna ad-  
miratione virtutis principalis recedebant.  
Ac duo cum sint, quibus auctoritas PRIN-  
CIPIS cum primis innititur, atq̄ve in sum-  
mum se effert, sapientia & virtus, ad horum  
præsertim disciplinas adolescentem ætatem  
applicuit; Deinceps in campo, in palæ-  
stra frequens atq̄ve exercitissimus. Im-  
primis verò pietatem præ omnibus aliis  
virtu-

virtutibus amavit, ad quam à *Parentibus*  
*Serenissimis* quasi manu ductus est: Di-  
gnissima certè sunt verba illa, quæ aliquan-  
do SERENISSIMUS PATER ad *Domini-*  
*um Wellerum*, cum Ille *Doctori Calovio*  
*Superintendentis* munus contulisset, præ-  
sente SERENISSIMO FILIO Wittebergæ di-  
xit, digna Cedro verba, digna quæ orbis  
audiat, posteri admirentur: *Domine Wel-*  
*lere*, inquit: Tu hodie animos incolarum  
hujus urbis tradidisti *Calovio*, ut curam il-  
lorum salutis gereret, ego nunc, quia *Pa-*  
*ter meus, Elector Serenissimus*, in summa  
senectute constitutus & morti proximus  
est, & ego, quia hominem me esse sentio,  
terminum vitæ meæ nescio, animam *Fi-*  
*lii mei amantissimi JOHANNIS GE-*  
*ORGII III.* tibi trado, ut ejus curam ge-  
ras, & de anima ipsius reddas aliquando ra-  
tionem, simulq̄ve volo, ut in nulla alia Re-  
ligione educetur, quam in hac, in qua ego  
natus & educatus sum, in qua jam vivo, in  
qua & mori desidero, nempe *Evangelica.*

E

Sed

Sed ad PRINCIPEM nostrum revertor,  
in quo ea in omni ætate eluxit virtutum  
concordia, & quasi laudum concentus, ut  
*Optimi Principis* exemplum verè repræ-  
sentet. Jam firmitas, jam proceritas cor-  
poris, jam honor Capitis & dignitas oris  
nonne verè insignem PRINCIPEM longè  
lateq̄ve ostentant? Sæpe ego mecum, *Au-*  
*ditores*, tacitus agitavi, qualem quantumq̄  
esse oporteret eum, cujus ditioni nutuiq̄ve  
subessent Populi, cum interea formanti mi-  
hi Principem, quem summa in homines po-  
testas deceret, nihil quicquam mihi deesse  
videretur in hoc ipso, quem suspicimus.  
Quis enim est, *Auditores*, qui JOHAN-  
NEM GEORGIUM III. *Electorem po-*  
*tentissimum* non omni elogio virtutis  
commendabilem existimet, quem insignè,  
excelsum, admirabilem natura ad omnes  
propè virtutes procreavit. Etsi verò vir-  
tutes ejus eo loco positæ sint, ut nullo adhi-  
bito prædicationis lumine, in oculos o-  
mnium incurrant, & præconiis omnium  
majo-

majores sint, citra negligentiae tamen no-  
tam & ingrati animi crimen fileri hic ne-  
queunt. Prima virtutum omnium pietas  
est, quae & reliquis virtutibus impertitur  
nascendi vim & sustinendi aspirat robur,  
virtutum omnium parens aequè & basis seu  
fundamentum. Nam ut primi mobilis  
agitatione, reliquae etiam sphaerae necessi-  
tate quaedam rapiuntur; sic quoque prima Re-  
giarum virtutum pietas incedit, reliqua-  
rum etiam nobile satellitium facile succe-  
dit. Haec est, quae sola vitam perficit, &  
complementum addit ultimum, quod fe-  
licitatem nostram absolvat. Neque e-  
nim domi aut foris quicquam prosperè  
geritur, ubi negligitur DEUS, & pietate  
collapsa, omnia ruunt. Quare *Princi-  
pem* eò magis pium esse convenit, quan-  
tum supra reliquos ipse eminent. Magna  
res est, esse *Christianum*, major verò esse  
*Principem & Christianum*. Principi  
enim pietas quam maxime est necessaria,  
decet enim quod optimum est ab optimo

coli, & quod imperat ab imperante. Atque ut *Principis* est in omni virtute populo præire; ita in hac maximè, quæ *Princeps* est & caput virtutum omnium. Religionem ipse si non præfert, quomodo alii? Et ea conditio *PRINCIPUM* est, ut quicquid faciant, præcipere videantur, subditi verò existiment, gratum se præstare obsequium Principi, si aut virtutes ejus aut flagitia imitentur. Quare *PRINCEPS* Noster hanc virtutem unicè necessariam esse putat, ut illam quàm diligentissimè curet, à quâ universa spes pendet Reipublicæ seu Imperii felicitatis. *Principium* itaque rerum ab Ipso agendarum curatio rerum Divinarum esse solet, in quâs toto fertur animi impetu. Id enim præcipue studet semper, ut vitam ducat DEO beneplacitam. Nec nunc de pietate ejus publica commemorabo, quæ traxit advertitque omnium oculos. Pascitur animus illius assiduis precationibus, ter quotidie, manè, meridie, vespere, puras in Coelum tendit manus, Se proster-

sternit ad terram, ut justis precibus DEUM  
sibi placet, nec nisi post horam & aliquan-  
do post binas horas à sancto opere discedit.  
Diversissimus illis, qui parum digna hæc  
Purpurâ censent, & sacrificulis potius ac o-  
tiosæ plebi deleganda putant. Nec ipse  
solum amat pietatem, verum & id operam  
navat, ut *Augusta* ejus *Domus*, imò omnes  
subditi, qui ejus imperio subsunt, pietatem  
tanquam Scaturiginem omnis felicitatis  
colant. Verissimè enim rationem ducit,  
si subjecti DEUM verè colant, minùs eos  
aut inter se aliquid, quod illicitum est, patra-  
turos, aut in ipsum. Optimè enim religi-  
osi subditi parent, & miti fractaqve cervi-  
ce humanum jugum ferunt, qui semel il-  
lud divinum. Pietas enim & DEI metus  
quasi frenum est & coërcitio in animis ab  
omni rebellione & insolenti motu; Neq;  
minùs ad imperii augmentum tendit subje-  
ctorum pietas. Quà ratione Eloqv̄entia  
Romanæ parens Cicero gloriari ausus est.  
*Romanos non calliditate aut robore, sed pi-*

F

*etate*

*etate & Religione omnes gentes nationesq̄  
superavisse.* O Pietatem PRINCIPIS NO-  
STRI admirandam! O PRINCIPEM *verè  
pium* & qualem votis omnibus subjecti pii  
sibi exoptant! Extant certè innumera pi-  
etatis ejus opera, quæ si voce exprimere  
vellem, vox deficeret.

Et dum monumenta tantæ pietatis col-  
ligere studeo, observantur oculis meis in-  
numera fortitudinis exempla. Sanè, *Au-  
ditores*, si admirandum fortitudinis *Prin-  
cipis nostri* Majorum templum ingredi vel-  
lemus, in eo tot virtutum insignia, ad imi-  
tationem exposita, tot bellicæ virtutis ta-  
bularum ad admirationem affixas, tot laudum  
vexilla, ad sempiternam gloriam penden-  
tia, tot *Heroicæ Virtutis* Symbola, æter-  
nitatis stylo notata, tot invictissimi robo-  
ris trophæa omni immortalitate digna in-  
veniremus, ut fieri non possit, quin admi-  
ratione obstupescamus. Quem alium er-  
go ex tam fortissimis Majoribus sperare  
potuimus *Germaniæ Principem*, quàm for-  
tissi-

tissimum & omni virtute præditum? Certe hæc spes nos non fefellit; Tu enim, SERENISSIME ELECTOR, ante annos gerens robur, animum Tuum virilem jam olim & specimina amplissima futuræ virtutis latè ostendisti. Tuus animi vigor jam in puero illuxit, atqve nemini non magna pollicitus est, cum venationibus arduis tanquam primis militiæ rudimentis, animum ad labores & pericula bellica præparares; Neque enim, *Auditores*, hominis mollis est lustrare saltus, excutere cubilibus feras, per invia properare, superare immensa montium juga, in editas petras & scapulos evadere, per dumofas sylvas, vix feris pervias reperere, sub dio pernoctare, & cum majoribus, crudelioribusqve bestiis, spumantibus apris, & furibundis cervis certare. Qvis Mithridate Rege Pontico fortior, sed quis in venatione eodem fuit exercitior? qui per septem annos neque urbis neque ruris tecto usus est, sed per sylvas vagatus diversis montium regionib' pernoctavit, asve-

tus feras cursu aut fugere aut persequi, cum  
quibusdam etiam viribus congregari. Eo-  
dem Tyrocinio & Tu ususes, *Princeps for-  
tissime*; sed uti in omnibus rebus, ita etiam  
hic modum observasti, *PRINCEPS Optime*,  
non in otium aut veri laboris fugam venationibus  
usus, sed fortitudinis exercitium,  
veraeque victoriae praeludium. Quam enim  
laborum & aliarum rerum, quas delicati fu-  
gere solent, tolerantiam rei militari dedisti  
operam? Docuisti pugnare milites Tuos  
eo tempore, cum alii docendi adhuc sunt,  
atque inde a teneris Te non magis *Optimum  
Principem*, quam *fortissimum belli Ducem*  
probare voluisti. Defuit aliquando ho-  
stis? non defuit vigilantibus in omni fortuna  
Tibi laborum materies, & ut hostis defuit,  
armavisti militem in socium, & hostili in-  
ter contubernales velitatione, quid timere,  
quid fugere, quid persequi, quid impete-  
re, ferire, praeterire in hoste debeant osten-  
disti, quando referre pedem, quando in-  
ferre, quomodo concurrere, ictum vitare,  
ani-

animare lassatos, opportunaē pugnaē lo-  
cum praecipare, fallere etiam & circum-  
ire hostem, fugam nonnunquam simulare,  
ut hostiles solvantur ordines, insidias incau-  
tis struere, terrorem concitare, qua arte  
peditatus se adversum equitatum, pauci  
adversum turbam tueantur, quoque ordine  
ferre pedem retro valeant, omnia diligen-  
tissime ipse milites docuisti. Nec exerci-  
tationibus tantum meditationibusque, sed  
& in periculis pro salute Germaniae animi  
Tui magnitudinem satis declarasti, totam  
ferme Germaniam non pedibus magis,  
quam laudibus & fortitudine peragrasti.  
Quantum enim fortitudinis experimen-  
tum, quod *Copias Electorales* contra Gal-  
lum, Germaniae hostem potentissimum  
eduxisti, cum velitationibus insignis ad *Mu-  
menheimium* & *Sensseimium* egregia for-  
titudinis & magnanimitatis documenta re-  
liquisti? Certum non Ducis magis quam mi-  
litis officium tam strenue tunc executus es,  
ut hostis ipse labores & vigilias Tuas obstu-  
pesce-

G

pesce-

pesceret. Hinc *Augustissimi Imperatoris* LEOPOLDI in Te amor & affectus, hinc illa apud omnes æstimatione, apud inferiores religiosus cultus. Qualem verò venerationem apud tuos comparasti? Cùm tecum in eadem, tecum sitim ferrent, cùm in conflictibus, militaribus turmis, principum pulverem sudorem misceres, nihil à cæteris, nisi robore ac præstantia differens, cùm libero Marte, nunc cominus tela librares, nunc vibrata susciperes, alacer virtutis materia & lætus, quoties gravior casus immineret. Et quid non hodie pro Germaniæ salute audet, *Princeps fortissime*, tuendæ Patriæ devotus spiritus Tuus, stringendi ferri peritus, sed ut idē cōdat intentus & Germaniæ otio consulens. Rarum admirandumq; in PRINCIPE donum, esse simul *Bellicosum & pacificum*, eoq; vè magis dignum, quo arctius hæc conjuncta reperiuntur. Magnum est, *Auguste*, magnum est, in armis stare, si belli aleam jacias, præmii certum, nec decerta-  
re cu-

re cupere pacis studio, quorum alterum  
fortitudine, alterum moderatione effici-  
tur. Cui quidem Tu mirificè deditus es.  
Atque hoc maximum illud bonum Tuum,  
PRINCEPS *Optime*, esse existimas, quo *Ec-  
clesiæ, Reipublicæ & Germaniæ* optimè  
consulis, Pacem nimirum colere. Hoc  
est studium Tuum, quo si sine incommo-  
do imperii & Reipublicæ fieri possit, unicè  
delectaris; Hoc est negotium Tuum, quod  
omnium maximè amare & æstimare soles,  
pax inquam, pax optatissima rerum, quas  
homini novisse datum, Quæ Tua non  
minus in nos collata beneficia, quam plera-  
que hujus vitæ commoda in se complecti-  
tur. Atque hoc ipso efficis, ut non mi-  
nus homines, in quos ingenti bono Tuo  
benignus es, quam DEUM, quem publicis  
& solennibus precibus, adversus bellum  
quotannis aliquoties in subsidium vocas,  
propitium experiaris.

Verùm à spectatissimis hisce PRINCIPIS  
Virtutibus, ad Prudentiam Ejus deflecto,

quæ non minus encominum meretur. Est hæc certè mensura virtutum omnium, quæ absque hac in vitia degenerant, & non immerito Agatho illam Divinam appellat, & est omnino, si eam apertis oculis inspiciamus, divina & singularis virtus Prudentia & humanæ vitæ decus & ornamentum. Hæc inquam, Consilii parens, animorum solacium, Anchora Statuum Prudentia est, acus nautica PRINCIPIS. Quis navem mihi dirigat, sine ferro quod affricuit Siderites? Sic nemo Rempublicam sine mente. Vim solam cogites? frustra, qualis Poetarum ille Cyclops amisso oculo, talis Princeps cui abest lumen hoc frontis. Natura capiti, Principi corporis parti, infixit oculos, DEUS Reipublicæ capiti, Principi, prudentiam imperavit. Univerfa corporis moles oculi directione, Republicæ regnantis consilio regitur. Quem in finem ELECTOR NOSTER SERENISSIMUS, pro gubernando populo adhuc ante susceptum *Electorum*  
à DEO

à DE O cum Salomone regum Sapientif-  
fimo veram expetiit precibus Sapientiam:  
Hanc enim solam sufficere putabat, ut re-  
ctè præesset, atqve certè hoc nauclero se-  
se post PATRIS beatissimi obitum, in va-  
stum illud gubernationis mare commisit.  
Et quàm intentum hodie ad res gerendas  
animum ipse affert, quas rationes atqve  
consilia, quam vera, quam pulchra ac sa-  
lutaria? quantam ad hæc ipsa gravitatem,  
constantiam, fidem? Sollicitus semper at-  
qve intentus, neqve præsentia tantum ve-  
rissima pensitatione æstimans, sed solertif-  
sima sagacitate auguratus futura. Itaqve  
nihil est quod non penetrare perspicacissi-  
mæ mentis acies, aut indagari sagacissima  
ejus industria queat. Essent certè, *Au-  
ditores*, jam singula, ut ut innumera pru-  
dentia ejus miracula ordine perpendenda,  
sed in hac temporis angustia, multa brevi-  
ter attingenda, quæ dies totos requirunt.  
Testantur Ejus insignem prudentiam  
tantis sumptibus exstructæ copiae in Ger-  
mania

H

mania

maniae hostes fuorum tutelam paratae, testantur ejus Prudentiam, ut multa paucis comprehendam, omnes res gestae, quibus verè se prudentem in omni vita, & imprimis in suo Regimine in ordinandis Electoratus redditibus, rescindendis superfluis, in ordinandis Judiciis, corrigendis legibus, vindicandis Sapien-tiae Studiis, constitutis Sacrorum ritibus, omnis Reipublicae salute definita, magnificeqve definita ostendit, tremendus armis, potens consiliis, effectu felix. Quae singula, *Auditores*, dum intueor, vincor magnitudine, quam melius silentio, quam sermone exprimam. Et prospiciendum est mihi, ut tandem finem inveniat Oratio.

Est verò admiranda quaedam & planè divina Clementiae & Liberalitatis in PRINCIPLE NOSTRO, ad hominum mentes benevolentiae & amoris vinculo capiendas & constringendas vis, quae maximum est ornamentum PRINCIPIS; Qua de causa Sacrae literae *Principes* nomine montium indigi-

digitant. Enimverò montes imprimis  
sunt terræ *Principes*, & quia coelo proxi-  
mi, & superiores reliquis omnibus natu-  
ræ operibus, & ut montes rivos & pluvias,  
ita ipsi *Principes* beneficia in subiectos  
fundant. Sanè hæc virtus *Principum* est  
propria; quâ propius quàm per ullam a-  
liam *Princeps* accedit ad DEUM. Hac  
certè animis ipsis imperant *Principes*, in  
quos difficillimum est imperium. Cor-  
pora vis & potestas subigit, animis nemo  
imperat, nisi qui Clementia & benignitate  
fecerit suas. Nam merces ab eo, qui ju-  
bere potest, vim necessitatis affert, & lu-  
bens sese alteri subjicit, qui beneficia acci-  
pit; Hæc virtute *Rex Navarræ Carolus* ab  
omnibus amari meruit, Cimon Imperator  
effecit, ut vita ejus fuerit secura, & mors suis  
acerba; sed quid aliena adduco exempla  
& peregrina, cum in promptu sit Clemen-  
tia & Liberalitas JOHANNIS GEOR-  
GH II. Cujus exemplum *Serenissimus*  
*Successor* ejus ita exprimit ut superet. E-

nimverò cui benignus ejus ac liberalis animus, nulla attaminatus avaritia, nec immoderata divitiarum libidine commotus non innotuit? Quas conculcare penitus, & omnem earum curam habere procul, dementis & parum providi, admittere ita ut præsto sint virtuti ejus est qui proximè ad DEUM accedit. O quanta bonitas PRINCIPIS est, succurre inopiæ, occurfare fortunæ atque id efficere, ne miseri pereant. Hoc verò *Principem* agere est. Hoc *Patrem communem*; non superbire inanibus titulis & quibus laudibus careas, superbire vanissimè. Onera Imperii tributa institui pro utilitate communi coegerunt, quæ, si imponantur iis qui longo decursu temporum immunitate gavisi sunt, langvescunt animi atque honore privilegii orbati vix sibi pares sunt. Tu *Domine*, non imminuisti Majorum Tuorum beneficia, sed prioribus potius nova adstruxisti. Manet sua cuique proportio; manet privilegii honor, beneficia Provincia-  
rum

rum non imminuta. Gaudet immunitate  
sua, quæ gavisa est olim *Lusatia*, patria mea  
dulcissima, cujus salutem non uno promis-  
so quasi obsignans benignissime confirma-  
sti. Quid verò magis aut ad fastigii Tui  
gloriam, aut ad tutelam felicitatis publicæ  
facit, quam optimas artes, liberalitate eri-  
gere & sapientiæ studia beneficiis fovere,  
quibus æquidem benignitas Tua ingens ro-  
bur adstruit. Contulerat munificentia  
PATRIS Majorumque Tuorum summam  
ingentem constituendis Stipendiis. Hæc  
supplevit pietas Tua, & amplificavit ma-  
gnificè, cum dimidium tantum superadde-  
ret Liberalitas. Solvitur totum quod di-  
midium olim dabatur, nihilque ex benefi-  
ciis Majorum convulsam. Crescunt ar-  
tes, crescunt literæ suisque Musis honos  
per Te rediit. Ut integra perfectaque  
gloria recuperati optimi status auctus se-  
culis omnibus audias: *Magnus Stator li-  
terarum, felix Conservator studiorum,  
Musarum omnium ac Religionis benignus*

*Patronus, Defensor invictus & Instaura-  
tor felicissimus, ac vero elogio Amor &  
Delicium hominum.* O Munificentiam  
igitur & Clementiam PRINCIPIS NOSTRI  
admirabilem, atqve omni laude, prædica-  
tione, literis monumentisqve decoran-  
dam. *Felix Respublica, felices Nos,* qui  
sub Regimine PRINCIPIS OPTIMI & beni-  
gnissimi vivimus. Quântum à felicitate  
nostra abeunt, qui malo Principe utuntur.  
Illius enim voluptas est, nocere unicuique,  
hujus gaudium singulis prodesse. Ille, ut  
pereant omnia, optat, Hic, omnia ut pe-  
rennēt, allaborat; Ille primo occurſu viſuq;  
terribilis, Hic verò amabilis atq; placabilis  
est; in illo superbia in fronte, ira in oculis,  
foemineus pallor in corpore, in ore impu-  
dentia multo rubore suffusa, in Hoc verò  
nil nisi Clementiæ ac Humanitatis facies.  
Ille concutit dissipatqve præcipiti turbine  
imperium, Hic quassata convulsaqve eri-  
git, fretumqve pace, fretum securitate  
communi lætissimis auctibus auget & in-  
cre-

crementis. Habeant nunc, *Auditores*, alia gentes Praeclaros Principes, sed habet Saxonia nostra JOHANNEM GEORGIUM III. seculi nostri decus unde non minora in subjectos commoda in omnes virtutum exempla. Floruit adhuc splendidissima *Domus Saxonica*, laudatissimis PRINCIPIBUS, inter omnes vero ceu fulgentissima gemma splendet JOHANNES GEORGIUS III. Obstupescet orbis, obstupescet certe in JOHANNEM GEORGIUM NOSTRUM ELECTOREM, *Pium, Fortem, Felicem, Pacificum, Augustum, Prudentissimum, Clementissimum.* Admirabitur virtutum in PRINCIPLE UNO concordiam, quã plerosque imperantes tantum superat, quantum illi à privatis recesserunt. Fuit quis gestis rebus venerabilis, aspectu negligendus, fortitudine celebris, at impietate infamis & in consiliis coecus. Enituit aliquis in bello, sed absolevit in Pace, alium toga, sed non arma honestarunt, in hostem alius fuit formida-

midabilis, sed in suos sævus, alios timere  
effecit, sed non amari itidem. At PRIN-  
CIPIS NOSTRI gloria non uno virtutum ge-  
nere terminatur, sed in universa emissa to-  
tius naturæ commercium profitetur. De  
quò tamen mirifico concentu quod di-  
cam? Laudabo? Supra captum meum,  
SERENISSIME ELECTOR, virtus  
Tua; Tangam magnitudinem virtutum?  
Ridebor, quia Orientem & Occidentem  
manu comprehensurus. Exhibeo ergò co-  
gitationibus vestris mentibusq; *Auditores  
optimi*, absolutissimam virtutum imagi-  
nem, exhibeo inquam, ex edita hac spe-  
cula, latè conspiciendum PRINCIPEM, cu-  
jus virtutes, à se genitas, ipsa virtus admi-  
ratur. Cujus virtutes invidia reveretur,  
fama laudibus evēhit, & monumentis suis  
æternitas consecrat. Quo fit, ut cum de  
virtutibus PRINCIPIS NOSTRI plurimum  
gaudeamus SAXONES, de felicitate tamen  
seculi moribusq; nostris magis. Etenim  
dum PRINCIPLE OPTIMO cari & probati es-  
se cu-

se cupimus, ipsi boni reddimur, & eo obse-  
qvii continuatione pervenimus, ut prope  
omnes Subditi Unius, nempe PRINCIPIS  
moribus vivamus. PRINCIPIS enim vi-  
ta est censura, eaqve perpetua, ad hanc di-  
rigimur, nec tam imperio subditis opus est,  
quam exemplo. Boni enim infidelis ma-  
gister est metus. Melius homines exem-  
plis docentur, quæ imprimis hoc in se ha-  
bent boni, quod approbant, quæ præci-  
piunt fieri posse. Quod quidem in præ-  
cipua laude *Boni Principis* ponendum est.  
Quanto enim magis arduum est alios præ-  
stare, quam se, tanto laudabilius, quod cum  
ipse sis *Optimus*, alios circa TE Tui similes  
effecisti. Sed nec hac parte felicitatis de-  
stituitur SERENISSIMUS PRINCEPS, quæ  
felicissimis plerisque defuit. Multis illu-  
stribus dedecori fuit, aut inconsultius uxor  
assumpta, aut habita patientius: & ne ma-  
gni haberentur, hoc effecit, quod mariti  
minores fuerint. TIBI DOMINE *ma-*  
*trimonium* in decus & gloriam cedit, quod  
K cum

cum virtutis eminentissimæ *Principe AN-*  
*NA SOPHIA, Serenissimi atque Po-*  
*tentissimi FRIDERICI IV. Regis Da-*  
*niæ Filia* junxisti. Quid enim illo auspi-  
catus lætiusq̄ve, & omni parte fortuna-  
tum magis cogitari potest? Quod nec in  
*Principum* laudibus dissimulandum ideo,  
quod non una PRINCIPIS Uxor *Reipubli-*  
*cæ* gravis, salutem ejus convulserit. Cer-  
tè Romanos Uxorius ambitus crudelius  
quam *Cæsaris* Dictatura, immanius quam  
tyrannicus Triumviratus, infidiosius, quam  
callida *Tiberii* Cunctatio, imperiū pressit.  
Quā diversa ab his & alia prorsus AUGU-  
STA NOSTRA? quam nihil sibi ex fortu-  
nā Tuā nisi gaudium vindicat, uno amore &  
observantia Uxorem PRINCIPIS, virtute  
*Matrem Patriæ* professa. Quid de foe-  
cunditate exoptatissima memorem, quæ  
*binam Stirpis Masculæ prolem* dedit, cu-  
jus duratio, solatium PARENTUM, & salus  
Tutelaq̄ve PATRIÆ in posterum; Vidit  
enim SAXONIA Nostra JOHANNEM  
GEOR-

GEORGIUM IV. & FRIDERICUM  
AUGUSTUM, quantos PRINCIPES?  
quam viva spirantiaque PARENTUM Simu-  
lacro atque imagines, spe perennaturæ  
felicis læta & beata. Neque enim o-  
pes & munimenta æque firma *Principatus*  
*Præsidia* sunt, quam *Liberorum numerus*,  
& PATRE *Optimo non deterior Proles*. Te-  
cum verò, DOMINE CLEMENTISSIME,  
vix liberalius agere *Numen beneficum* po-  
tuisset, quam quod TIBI ita prospexit, ut  
daret *Successores* TIBI, ex sanguine natos  
Tuo. Equidem felicitatis rarum exemplum  
fuit *Augustus Imperator*, qui tam prospero  
fortunæ cursu, per omnes felicitatis huma-  
næ grad' grassatus est, ut Successoribus ejus  
inter publica vota acclamatum sit AUGU-  
STO *felicior*. Tu tamen, PRINCEPS *fe-*  
*licissime*, hac in parte AUGUSTO *felicior*  
es. Occurrit ex alio aliud: ac laudandis  
in PRINCIPES bonis, non sufficit Oratio.  
Quantam enim *Germania* in tanta virtute  
PRINCIPIS posuit fiduciam? Suspicit

in Defensoribus suis præcipuo cum SERENISSIMO FRIDERICO WILHELMO loco, JOHANNEM GEORGIUM cujus tutelæ curæqve salutem & libertatem suam salvam fore auguratur, JOHANNEM GEORGIUM dico, qui pro salute *Germaniæ* pugnare immortale boni *Principis* monumentum censeat, stat pro *Germaniæ* salute in armis tot legionū *Saxonicarum* robur, duratum bellis, firmum opibus, atqve ipse *Princeps* sua virtute insignis & tot exemplis *Heroum fortissimorum*, qui nullos labores, nulla discrimina defugerunt unquam, cum liberanda patria cum sancta fides asserenda est. *Felix Germania* hoc Præsidio, cujus vultum humanissimū, manus impigerrimas, animum fortissimum, nulla cujusquam vox satis laudaverit. *Felices Saxones* eo PRINCIPLE cui nihil earum rerum deest, quæ imperantibus tribuere favor *Numinis* solet, cum maximus est. *Felices* hoc seculi HEROE, cujus virtuti coelum ac decreta *Numinis*  
sic

DE RE-  
MO  
UM  
atem  
AN-  
ro fa-  
boni  
t pro  
axo-  
m o-  
nfig-  
rum,  
uge-  
cum  
ania  
mū,  
tissi-  
uda-  
E cui  
anti-  
cum  
OE,  
ninis  
fic

sic favent, ut cum omnia dispenfent, uni  
jam vacare videantur. *Felices* hoc PA-  
TRIAE PARENTE quo meliorem reminisci  
nemini datum est, si votis formare *Princi-*  
pes datum esset. Tenemus jam felicitatis  
nostrae, TE Praeside apicem *Serenissime* JO-  
HANNES GEORGI, nec habent quo  
vota nostra ascendant amplius, cum sum-  
ma teneant. *O Felices* igitur Subditos,  
hoc OPTIMO PRINCIPE, O felix PRIN-  
CEPS hac virtutum constantia. Hoc  
scilicet est, quod *Saxonum Tuorum* ani-  
mos cumulavit gaudio atque obruit penè,  
cum post PATRIS BEATISSIMI obitum tri-  
stissimum, PRINCIPI OPTIMO Sacramen-  
tum dicerent. Quod si enim afflictissimis  
& moeroris acerbitate confectis pene men-  
tibus, gratisimum est consolationis officii-  
um, si aegris graviter qui decubuerunt, ju-  
cundissima est recuperata salus, si navigan-  
tibus post marinos labores exoptatissimus  
portus; quid gratius, quid jucundius, praer-  
sertim tunc temporis, turbulento rerum  
L statu

statu, cum pestis ubiqve grassaretur, PA-  
TRIAE potuisset evenire, qv̄am PRINCEPS  
*Optimus*, qvi tanqv̄am *Gubernator* in flu-  
ctuosissimo mari omnia prudentissimè re-  
geret? Hoc est, qv̄od lætitia & exultatio-  
ne hucusqv̄e subjectos implevit. Hoc est,  
qv̄od qv̄otidie atq; hoc præsertim *Natali*  
*Die*, Festo plausu, bonisqve ominibus, atq;  
delicatisimæ cujusdam voluptatis genere  
nos implet. Qv̄od qvidem ea ipsa *Die*  
cumulatisimè fieri necesse est, qva *Cle-*  
*mentissimum Numen*, recens natum ter-  
ris indulgit primum, & qvi tantorum bo-  
norum auspex est ac initium, unde univer-  
sus felicitatis publicæ ordo nascitur. Vide-  
or certè mihi videre *Auditores*, in *Patria*  
*dulcissima*, & qv̄am latè SERENISSIMI  
PRINCIPIS imperium porrigitur effusissi-  
mæ lætitiæ speciem. Videor mihi videre  
hac die mentes omnium attolli, & emicare  
iterum iterumqve, & qv̄ærere undiqve &  
circumspicere vias, qvibus in gaudia sua e-  
rumpant. Video ætatem omnem, omnem  
ordi-

ordinem exultare, ovare atque triumphare. Incitare alium alios, ne quisquam segnius gaudeat, contendere omnes & certare invicem, & qui PRINCIPEM amet impensius, hoc & lætetur effusius; Et quamquam omnia faciant singuli, neminem tamen sibi satisfacere. Ego verò dum publici gaudii ibidem strepit festivitas, dum festis plausibus bonisque omnibus, in *Patria* resonant omnia, ipse lætitiis omnibus lætus mihi gratulor, atque honori ducor, quod in hac toto orbe & viris & studiis *Celebrata Academia*, clarissimis & celeberrimis, doctrinam, virtute, lectissimamque nobilissimam *Juventutis corona* publica gaudia nostra prodere mihi datum sit. Erit profecto, *Auditores*, erit profecto mihi hic *Dies* jucundus semper & facer in posterum, quem usque cogitem, usque revolvam cum animo accolam, cujus nunquam meminero quin exultem animo, atque ingentis lætitiæ sensu perfruar. Quod ut eveniat feliciter *DEUM Optimum Maximum*

devotamente veneror, eundemque pre-  
cor ac rogo, ne quid huiusmodi in SERENIS-  
SIMUM PRINCIPEM ac DOMINUM  
MEUM expetat, quod aut valetudinem,  
aut statum atque fortunam laceffat. Vo-  
vemus omnes, vovemus singuli, ut eat, ex-  
eat, & redeat hæc ipsa dies prospera ac fe-  
lix, tum TIBI CLEMENTISSIME ELE-  
CTOR, tum SVAVISSIMÆ CONJU-  
GI, tum TOTI AUGUSTÆ SAXO-  
NICÆ DOMUI. DEUS TE nobis de-  
dit, DEUS TE conseruet. Faxit DEUS,  
ut imperes, PATER PATRIÆ felicissi-  
me & diutissime, faxit, inquam, SUMMUM  
NUMEN, ut vivat ANNA SOPHIA,  
*Patriæ Mater Serenissima*, incolumis in  
feros annos. Vivant, vivant JANI  
GEORGII NOSTRI MAXIMI PRINCI-  
PES, OPTIMI PRINCIPES. Vivant,  
inquam, æternumque durent in Suis. Hi  
regnent & tueantur consilio *Patriam*, ex-  
emplis instruant *Seculum*, actorum gloria  
terrarum orbem impleant, non nisi cum  
ipso

ipso terminanda. Vivat *Serenissimus* PA-  
RENS, & immortalibus non comparan-  
dis meritis suis superet coelum! Vivant FI-  
LII, inq; auctorum felicissimè adolescant  
virtutes, orbique olim PATRI similes, id  
est *Optimos Maximosqve* præstent PRIN-  
CIPE S. Hoc Nostrum, hoc Patriæ, hoc  
totius Germaniæ votum est. Neque enim  
nostra tantum, sed publicè omnium inter-  
est, ut sidera ista nunquam intercidant,  
semper fulgeant. Stet contra casus omnes  
invieta ac felix *Saxonica Domus*, & firmis-  
simis insistentis munimentis ac fulcris ævum  
omne evincat, Religionis virtutis ac securi-  
tatis gentium asylum commune. Sed ante  
quam ab hoc ipso ad dicendum constituto  
loco discedam meritò affectum Vestrum  
erga me, *Auditores omnium Ordinum*  
*spectatissimi*, ut laudibus feram mihi in-  
cumbit. Vos enim peregrinum de pere-  
grino PRINCIPE loquentem tam benignè &  
patienter audire voluistis. Certe *Audito-*  
*res* ego hunc affectum summi beneficii lo-

co assumo plurimumque vobis pro illo debeo, Agnosco ea de causa affectum vestrum erga me, agnosco beneficium vestrum summum, sed ò in felicem me qui nulla alia re nisi verbis gratias dicere possum! Ago tamen gratias *Tibi Magnifice Universitatis Rector, Tibi Perillustris, Generosissime, maxime strenue Domine Colonelle S. R. J. Liber Baro, Tibi Perillustris Generosissime Domine Baro, Vobis Proceres Universitatis Excellentissimi, Vobis viri plurimum Reverendi, vobis Generosi atque nobilissimi Domini Commilitones, vobis denique Auditores omnium ordinum honoratissimi, Sed verbis uti dixi & animo tantum, & nisi fallor hoc est quod requiritis maxime, cum collocare beneficia soletis. Quemadmodum enim DEUM ter optimum maximum re non alia magis, quam religione animi conciliare consuevimus, atque hoc unum sibi pro infinitis muneribus ipse postulat ac donis, quæ in humanum genus quotidie spargit; sic*  
magnæ

magnæ & Diis cognatæ animæ cætera omnia calcant facile atq; contemnunt, dum hominum mentes de quibus egregie meritæ sunt obstrictas sibi devotasq; teneant, quæ quidem in re nemini ulli mortalium unquam concedam. De cœtero *Summum illud ac Clementissimum* NUMEN supplex oro ac precor, ne quid hujusmodi in vos expetat, quod aut valetudinem vestram, aut statum atq; fortunam laceffat. Faxit DEUS ut Acta, ut cogitata vestra cuncta, tendant in *Numinis Divini* GLORIAM, tendant in *Reipublicæ & Universitatis* EMOLUMENTUM, tendant deniq; in proprium *vestrum commodum*, me vero ulteriori favore & informatione vestra reddant digniorem

D I X I.





dere, atqve ita illorum merita summis ex-  
 tollere laudum creditum  
 biles ferè quibus ex-  
 mendandam vocem in-  
 tis suæ ad exemplum  
 viâ possedat seculi  
 rum, factius vehi-  
 ce Trajanæ per Mam-  
 menium Ausonium  
 dis ab omnibus Principes  
 quæ facientur &  
 non trahitur ætas & obscurat oblivio, nomen eorum, sed  
 prudentibus innumera-  
 & Oratores, lacuit, com-  
 muni Rectoribus oculos felicita-  
 Principes sub potissimum  
 muniti. Lau- don suum Cy-  
 cili laude Cur- n Plinii vo-  
 Theodosius, nus, per Eu-  
 antini, per ab specie lau-  
 ævi nostri aciant, mali- nè vera Prin-  
 est, quando demolitur æ-  
 monu-

